

CCl.

Anno 1622. — 1692. Viennae.

Privilegia Ogulinensium.

Nos Leopoldus, Dei Gratia Electus Imperator. Memoriae comendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: quod Fideles Nostri Egregii Simon Puskarich, certae pedestris militiae Vaivoda, et Nicolaus Domitrovich, Incolae ac Inhabitantes praesidii Nostri Ogulinensis, alias in Episcopatu Modrusiensi, ac sub Jurisdictione antelatorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum existentis et habiti, nomine et in parte caeterorum pariter eiusdem praesidii Judicis, Vaivodarum Incolarumque, ac ipsius etiam communitalis Confiniorum Militum ibidem degentium, exhibuerint et praesentaverint Nobis certas et quidem in ordine ternas privilegiales litteras Germanico Idiomate confectas. Primas quippe Sacratissimi olim principis ac Domini Ferdinandi Secundi, Imperatoris et Regis Avique et praedecessoris Nostri Gloriosissimae Reminiscentiae desideratissimi, confirmationales in anno Domini 1623 die prima mensis Decembris in hac Civitate Nostra Vienaensi, et super certa a solitis Datis laboribusque et Robotis quibuscunque exemptione et imunitatione, sub sigillo eiusdem Imperatoris et Regis secreto patenter confectas. Alias demum binas Caesareo-Regioque Nostro Nomine per expeditionem Consilii Nostri Bellici Graecensis: priores equidem die tertia mensis Februarii 1668, in facto Metalium dicti praesidii Ogulinensis terminorum, Territoriorumque distinctionum ac definitionum prout et nonnullarum eatenus antehac obortarum et emergentium, demum vero comissionaliter sopitarum decisarumque et determinatarum differentiarum; posteriores autem sive tertias die vigesima quarta mensis Septembris pariter in anno praescripto 1668 in forma patenti emanatas, certaue novem puncta, et primum quidem super eo, ut nobilitaris dictorum Ogulinensium praerogativae debitas haberi debeat respectus; secundum, ut iidem a decimis et quibuscunque laboribus ac servitutibus respectu propriorum dumtaxat fundorum exempti habeantur ac imunitati; tertium, ne superioribus sive officialibus eorundem in propria ac pecuniaria inferiorum munia involare et quoquo pacto sese ingerere licitum sit et integrum; quartum, ut ipsi Incolae Ogulinenses super fundis propriis libere quidem inter ipsosmet disponere valeant, id tamen ad extraneos nequaquam extendi possit; quintum, ne officiales seu Capitanei loci ipsos in iam fatis eorundem fundis quoquo modo turbare aut impedire praesumant; sextum, quod si lites, seu differentias quapiam ratione modo dictorum fundorum praefati Ogulinenses inter se ipsos emergenter haberent, extunc earundem complanatio medio certorum quatuor virorum e gremio sui deputandorum instituatur et pro ratificatione ad Generalem seu Comendantem Locum deferatur atque deducatur; septimum, ne in limitibus sive territorii ipsorum sese ad et trans flumen Vituina dictum extendentibus quapiam